

913

tissimus humanæ salutis Autor id ægre non tulit, sed ut huic incredulo *Thoma* succurreret. apparitionem repetere, cunctasq; conditiones, & postulata, post octiduum adimplere, fidemqve paschalem apud *incredulum Thomam* promovere voluit. Sed, post fidei collationem gravem admonitionem adjecit v. 29. *Thoma, quia me vidisti, credidisti: Beati vero, qui non vident, & crediderunt.* Ex eo tamen liquet, fidem esse medium unicum, catholicum, proportionatum, & adequatum *Mnemosophias paschalis*, sine quo nec veram *Mnemosophiam paschalem* concipere, nec fructum ex eadem ullum percipere possumus.

18. Denique quoad *Causas Efficientes* subjicimus *Causam Ministerialem*. Hæc causa *Ministerialis* consideratur (1) relate, quoad textum, sic non una causa *Ministerialis paschalis Mnemosophias* hic invenitur (α) *Paulus* est, qui secundum DEI voluntatem, & Sancti Spiritus instinctum h. l. *Mnemosophiam paschalem* præscribit, atqve præcipit, ut oraculum ipsum ostendit. (β) *Timotheus*, quem ad hanc *paschalem Mnemosophiam* invitat & excitat, eiqve propagationem ejus v. 2. commendat, ut tanquam *fidelis Minister, & Ministerialis Discipulus* atqve *successor* v. 1. tanquam *fidelis testis* v. 2. tanquam *miles bonus Jesu Christi* v. 3. tanquam *victoriose certans ad coronam* v. 5. tanquam *agricola strenue, laborans* v. 6. *illuminatus à Domino* v. 7. tanquam *salubriter commonefaciens* v. 14. *solicitus curator & inconfusibilis operarius* v. 15. &c: hanc *Mnemosophiam paschalem* omnibus communicare velit. (γ) *Christiani* pariter alii, qui primum hanc *Mnemosophiam paschalem* suscipere, vel cognoscere, mox eandem aliis communicare, & ad ipsam instituendam eos excitare debebant, sicut dicitur v. 2. *Hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei & alios docere*, sicut apparet ex paschalibus *Mulieribus, Discipulis Emaunticis* &c: (2) *Absolute*, sic *Mnemosophias paschalis Ministri* sunt vel *authentici, Prophetæ* vid. in V. T. qui nobis adhuc hodie suis illustrissimis *predictionibus, promissionibus, & typicis præfigurationibus* egregium *Mnemosophias paschalis* præstant *Ministerium*, vel sicut *Christus hoc Ministerium* adhibere voluit, *Luc. XXIV. 44. ex*